Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nomen spiritu sancto non inconuenienter accepit. Sophym autem specula sonat. per quod ipse dei filius de quo loquimur figurari poterit. qui per assumptionem humanitatis in deum inuisibilem se hominibus exhibuit. Effraym uero frugifer interpretatur. per quem deus pater ualet designari. a quo effectum suscepit quicquid illud est. quod unquam bonum fructum attulerit. Non enim domino nostro ihesu christo humana natura contulit. quod uita eius et conuersatio. uitae et conuersationi omnium sanctorum ab initio usque in finem seculi dissimilis fuit. sed ex hoc habuit. quod deus erat et homo. et tota sancta trinitas operabatur cum illo et in illo. cum qua et in qua deus unus est sine fine et initio. Et nomen eius inquit helchana. Helchana dei possessio interpretatur. per quem hic ipse homo christus ihesus figuratur. Non necesse habemus multum de hoc instrui. quoniam ipse uocetur dei possessio. quia scimus quod omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitaret in illo. Et merito sancta diuinitas. cuius oculi mundi sunt ne iniquitatem uideant. illum talem hominem in propriam et specialem sibi possessionem uendicauerat. in cuius cogitationibus. uerbis et operibus nunquam aliquid inuenit. quod displicere ei potuerit. Filii hieroboam. filii heliu. filii thau. filii suph effrateus. Interpretationes horum nominum dicamus. et summatim quod nobis in his uidetur perstringamus. Ieroboam misericors. heliu deus iste interpretatur. thau signum uel subter. suph specula. effrateus fructifer dicitur. Breuiter enim et simpliciter de his dicere possumus. quia opus gratuitae misericordiae fuerit. quod ille qui deus erat super nos. subter id est homo esse uoluit propter nos. et qui imago et splendor est substantiae dei. conspiciendum se hominibus prebuit. quod hoc nomen suph. quia specula dicitur